

quae olim in procinctu fiebant, erant nuncupatiua. Nam de his scribit *PLVTARCHVS in Coriolano p. 217.* Fuit autem illis temporibus mos apud Romanos, ut in aciem prodeuntes, antequam scuta caperent, et scutis se praecin-gerent, tribus aut quatuor audientibus simul sine scriptis testamenta facerent, atque heredes nominarent. Scripta e contra testamenta erant per aes et libram, in quibus testator heredem non nominabat, sed scribebat in tabulas. Tabulas enim testamenti testator tenens ita dicebat: *HÆC VTI IN HIS TABULIS CERISVE SCRIPTA SUNT, ITA DO, ITA LEGO* etc. teste *Vlpiano, vid. infra §. seq. III.* Sub primis quoque Imperatoribus tam scripta testamenta, quam nuncupatiua in vfu fuisse docet *SUETONIUS*, qui de *Horatio* in vita eius circa finem memorat, quod heredem *Augustum* palam nuncupauerit, cum urgente vi valetudinis non sufficeret ad obsignandas testamenti tabulas. Denique *Iure Iustiniano* distinctionem hanc testamentorum expressis legibus confirmatam esse legimus, quo pertinet inter alia *L. 21. pr. qui test. fac. poss. ibi: Licebit ergo testanti vel nuncupare heredes, vel scribere. vid. etiam §. fin. Inst. de testam. ordin. L. 8 §. 4. de bon poss. sec. tabb. L. 21. pr. et §. 2. L. 29. C. de Testam.* Vtrumque hoc testamentum in eo quidem conuenit, quod pluribus sollemnitatibus, formam atque imaginem veterum testamentorum, in comitiis potissimum, nec non per aes et libram representantibus, perficienda sint. In eo tamen scriptum a nuncupatiuo in effectum differt, quod praeter sollemnitates istas, vtrique testamento communes, quasdam adhuc alias, scripturam in specie respicientes desideret. De his ergo tam scripti, quam nuncupatiui sollemnibus, eorumque origine, in quantum instituti ratio id permittit, pauca adhuc praefabimur.

III. Ad